


Nf. 60.3.








6
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
P R O R E C T O R
C V M S E N A T V
S A C R A P A S C H A L I A
R E L I G I O S E C E L E B R A N D A
C I V I B V S S V I S
I N D I C I T .

h.

Monstratur Christus θανατοκτονος ad verba
Hof. XIII, 14.



GOETTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA, CUR. F. A. ROSENVSCH,

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

P R O R E C T O R

CVM SENATA

SACRA PASCHALLA

RELIGIOSE CELEBRANDA

CVIBVS SVIS

INDICAT

Die 17. Aprilis 1717
Hoc Xii. 17.

GOETTINGAE

EX OFFICINA SECVLARIAE CVR. P. A. REGIENOR.





Spem eorum, qui iustissimi pariter ac clementissimi Numinis
 decreta de aeterna hominum salute, Christi meritis parta,
 & fide in eum impetranda, ignorant aut illis fidem habere nolunt,
 mirum in modum extenuari mortis cogitatione, & ipsa cum
 morte evanescere, crebra animaduersione perspectum fuit, &
 haud contemnendis rationibus probatum dari potest. Sane non
 persuadebit Cicero aliis, quod de morte disputans, Academicum
 philosophandi rationem secutus, ipse haud dubie non credi-
 dit, mortem aut summum bonum esse, aut nullum malum (*).
 Non

(*) Tusc. Quaest. L. 1. C. 46.
 In morte aut summum bonum aut
 nullum malum esse cognouimus. An-
 te vero, quam disputationem hanc
 Cicero ingrederetur, ibid. Cap. 9.
 scribit: Ea, quae vis, ut potero,
 explicabo, nec tamen quasi Pythius
 Apollo, certa ut sint & fixa, quae

dixerō; sed ut homunculus vni
 multis probabilia conjectura sequens.
 Ultra enim, quo progrediar, quam
 ut veri videam similia, non habeo.
 Certa dicent ii, qui & percipi eas
 posse dicunt, & se sapientes esse
 profiteantur.



Non enim summum bonum esse mortem, suus quemque sensus docere potest. Omnes enim viuendi desiderio tenemur. Malum autem esse ex eo iam intelligitur, quod vitae huius, quo laetamur, lumine nos orbat. Non enim potest per se malum non esse, quod triste nobis & acerbum accidit. Sed valeat hoc tantisper, quod non Ciceroni solum placuerit, sed aliis quoque arrideat, mortem aut summum bonum esse aut nullum malum; hac ipsa tamen disiunctione videmus spem illorum, qui hanc de morte sententiam ferunt, valde labefactari & dubiam reddi. Haerent enim ancipites in eo, sitne mors summum bonum, an nullum malum; igitur quid sit aut non sit, in medio relinquunt, nullamque felicitatis in morte potiundae spem exploratam habent. Neque tamen meliora habent alii, quae de morte sperent, dum ad illam spem in animo excitandam non alio vtuntur lumine, quam ipsis infuso. Sunt, qui eo delabuntur, vt excessu vitae putent sic deleri hominem, vt funditus intereat. Qui etsi hac opinione hoc lucrarentur, vt mortem haud metuerent, nihil tamen spei relictum sibi esse vident, nisi forte spei loco habeant depulsam malorum metum. Certum enim est, boni cuiuspiam fruitionem esse non posse, sensu omni ablato; adeoque nec spem ullam, quippe quae inest in iucunda praesensione boni, quo aliquando frui sumus. Qui ergo iucunda esse mortis cogitatio potest his, qui hominem prorsus interire putant? Quos, quoties mortem cogitant, & serio quidem, necesse est in hanc quoque cogitationem venire, omnibus omnino bonis, fortunis, commodis, voluptatibus morte orbari hominem. Quo quid magis infuauere esse animumque inquietare potest? Dum enim tolerabili fortuna homo gaudet, & dixerim fere, dum huius spiritum vitae trahit, insita cupiditate tractus non cessantem bonorum, quae in naturam humanam cadunt, fruitionem expetit. Quare non potest non illam cogitationem moleste ferre, mortem instare, quae ipsi omnia bona eripiat, sensumque omnem tollat. Sed ponamus etiam, esse quosdam adeo peruersae indolis, vt, quoniam haud quaerunt aliud, quam quod ipsis copiam faciat, suo secure



secure indulgenti genio, in hac sententia, hominem prorsus morte interire, solatium sibi inuenisse videantur; flebile tamen & infirmum illud est, propterea, quod illi sensus internus refragatur, atque contrariis rationibus vel inuitus a sententia dimouetur animus. Alii sunt, qui existimant, superstes morti esse mortale hominum genus, vitamque eorum, facta solummodo per mortem insigni eius mutatione, ad aeternitatem durare. Et sane alterutrum horum verum esse necesse est, excessu vitae aut funditus homines interire, aut, facta vitae mutatione, nouam vitam inchoare. Sed hi quoque, qui posteriorem amplectuntur sententiam, non habent, quod de morte gaudeant. Multo enim plura sunt, quae cogitantibus futuram vitam, post mortem transigendam, metum injiciant, quam quae desiderium. Ipsa nimirum mors mali instar ominis est; nec facile iucundi ac laeti aliquid expectare de illa vita licet, in quam per mortem, rem per se acerbam, tristem atque horribilem transcenditur. Igitur quid magis homini, felicitatis suae non ad breue tempus, sed ita cupido, vt infinitam illam & sempiternam anhelet, optabile esse queat, quam melioris vitae post mortem expectandae spes infallibilis. Hac nimirum armati offerunt se morti obuiam forti animo, tanquam hosti nec sempiterno, nec de vita nostra triumphaturo, eiusque impetus facile vincunt. Tantam vero spem, quippe supra mortem positam, fallique nesciam sola nobis doctrina Iesu Christi adfert, si firma indubitataque fide illam amplectamur. Vitam expectare nos iubet, deposito hoc mortali corpore, in aliis mundi regionibus, facta in illas migratione, agendam, beatam illam, si per Christum Deo reconciliati hac in vita amorem in eum virtutemque integrauerimus, tum & corporum dissolutorum restitutionem, ipsamque adeo mortem e medio sublaturam iri 1 Cor. 15, 26. nec amplius exituram esse, Apocol. 21, 4. confirmat. Debemus haec diuino totius salutis nostrae restauratori ac vindici, Christo, *Θεοῦ ἁγίου*, qui, teste Paulo, Ebr. 1, 14 15, *particeps factus est carnis & sanguinis nostri, ut per mortem aboleret eum, penes quem est mortis robur,*

ἡμεῖς ἂν ἴδωμεν ἃ ἡμεῖς οὐκ ἴδωμεν ἡμεῖς οὐκ ἴδωμεν ἡμεῖς οὐκ ἴδωμεν hoc



hoc est, diabolum, & liberos redderet, quotquot per omnem vitam damnati erant servituti. Quare se ipse talem humani generis egit liberatorem, qui suos ex morte eriperet, dum diceret Ioh. 5, 34. *Qui doctrinam meam audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit a morte in vitam.* Verbis hisce, praeter multa alia, vt *ἀνορθότροπος* Christi, ita eius quoque veracitatis documenta, fidem facit ipsa eius a morte resurrectio, cuius memoriam festis hisce diebus, vt fas est, recolimus. Si enim Christus in vitam rediit, quod satis magnis testimoniis constat, is ipse autem Dei filium eiusque ad homines internuncium se gessit, vitamque aeternam suis se dare declaravit, sane sequitur, vt verissima sint, atque non solum ad colendum Deum officiumque nostrum regendum, verum etiam ad melioris vitae spem excitandam fovendamque necessaria, quas ab illo prolata fuerunt. Iam si ad maximum hocce Servatoris nostri promeritum, quo mortem debellavit, atque credentibus in eum aeternam paravit vitam, mentem advertimus, iure illum τῆ θανάτου νόμος nomine insigniri fatendum est, quod quale sit strictim exponere nobis constitutum est.

Apollinem ferunt olim *λυκοκτόνον* cognominatum, statutumque Atheniensibus fuisse, vt illi, qui lupum adultum occidisset, talenta duo darentur, vnum, qui lupi catulum (*). Parva magnis saepe commode conferuntur, vt magna, positis iuxta se parvis, magis elucescant. Sic igitur Apollo aliquis *λυκοκτόνος* siue verus siue fictus pro nihilo ducendus est, prae vero *θανάτου νόμῳ*, & nihil lupi alicuius interemptio ad deuictionem mortis, quae

(*) Observatum hoc fuit interpreti ARISTOPHANIS ad huius versum in Aulis:

Φεισόμεθα γάρ τι τῶν δὲ μᾶλλον ἢ λύκων;

Prouerbiales scilicet locutio erat,

ἔ Φεισόμεθα μᾶλλον ἢ λύκων, inde nata, quod antiquitas lex ad interficiendos lupos etiam praemio inuitabat apud Atticos. vid. ERASMI Adagia, p. 153. quae prod. Hano-viae 1617.



quae vniuerso generi humano perniciem sempiternam minabatur, sublata vero credentibus in Christum non solum exitiabilis esse non potest, verum etiam ob commutationem vitae felicissimam fit desiderabilis. Quare nullis talentis, nec vero thesauris totius mundi in vnum simul omnibus congestis vnquam Christo diuinum hoc beneficium rependemus, quod τὸ θανάτου νόμος nomine continetur. Idem significat graeca haec vox, quod Latino idiomate *mors mortis* dicitur, in qua θάνατος, quod monere vix opus est, mortis vox primo loco posita μετ' οὐμῶς, effectum scilicet loco causae nominato, explicanda est, vt adeo interfectorem denotet. Id nominis in cationibus nonnullis sacris Seruatori nostro attributum legimus, vt in illa ERNESTI CHRISTOPHORI HOMBERGII (*), ciuitatis Numburgensis olim actuarii, quae incipit:

Iesu, vitae meae vita,
Iesu, mortis meae mors!

Similiter hymni passionis notissimi, *O maximum Cordolium* (**), verba illa,

Deus

(*) Huius cantiones sacrae prodierunt. Ienae 1689. in quarum Parte. I. p. 317. haec cantio legitur, praemissa hac inscriptione: *An seinen Erlöser und Heyland wegen seines bitteren Leidens Dank-Lied.* vid. NEUMEISTERVM de Poetis Germanis p. 56.

(**) In vernacula nostra incipit hic hymnus: *O Traurigkeit, o Herzeleid &c.* Verba citata: *O grose Noth, Gott selbst ist todt*, initio huius saeculi controuersiae occasionem dederunt, quae Tremoniae

agitata fuit. Singularis tum *Rostochii*, componendae litis causa A. 1703. habita fuit disputatio sub Praesidio D. Io. Nic. QVISTORP II, auctore & Respondente M. Ivst. WESSEL RVMPAEO: *De hymni passionis O Traurigkeit &c. verbis: Gott selbst liegt todt.* Conf. *Novae litter. maris Balt. A. 1703. pag. 241 sqq.* Succinctam controuersiae huius historiam v. in *unschuldigen Nachrichten a. 1704. p. 238.*



Deus iacet,

Heu ipsemet!

Palus dedit necatum,

in hymnario Hannoverano quodammodo mutata neruose sic effe-
runtur:

Indigna fors!

Heu mortis mors

In cruce iugulatur.

Addimus & hoc, quod hodiernum Vicentiae in aede S. Laurentii
inueniatur carmen incisum in sepulchro Lupati, Senatoris olim
Patauini, in cuius calce quatuor hi versus heroici leguntur:

Mors mortis morti mortem si morte dedisset,

Hic foret in terris aut integer astra petisset,

Sed quia dissolui fuerat sic iuncta necesse,

Osâ tenet Saxum, proprio mens gaudet in esse,

teste BLAINVILLIO, qui recte, vt nobis videtur, iudicat, prima
carminis verba, *mors mortis*, de Christo esse intelligenda, quod
si supponatur, reliqua verba sensum facilem fundere (*). Iam ad
grauiora progrediamur. Dubio carere videtur, insigne hoc elo-
gium, quo Dominus noster, Iesus Christus, celebratur, ductum
esse ex versione vulgata, Hof. 13, 14. in qua haec leguntur ver-
ba: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors
tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* Posteriora verba in textu
Hebraico ita se habent: **אֲהִי דְּבָרֶיךָ מוֹת אֲהִי קְטֹבֶיךָ שְׂאוּרִי**
quae si recte a vulgato interprete, translata sunt, Messiam illu-
stri *Ἰὲ θάνατον* nomine, seu mortem mortis se appellan-
tem, exhibent. Nos ex illis, quae primum de verborum huius
com-

(*) Vid. DE BLAINVILLE Prodiere Londini 1743, et in
Travells Vol. I. C. 69. p. 453.



commatis significatione, deinde de ipsa re copiosius differuntur, pauca, prout pauculas paginas scribentibus licet, delibabimus.

Nonnulli interpretes, in quibus est ABRABANEL, (in Commentario in Hoseam) verba Hoseae proxime antecedentia interrogatorie proferri putant, atque adeo totum comma hunc in modum explicant: *Ex manu inferni redimerem eos? De morte vindicarem eos? h. e. anne feret aequitas, ut ex manu inferorum redimam eos, atque ex morte eos vindicem? Nequaquam certe, quin e contrario eueniet, ut sim verba tua, mors, i. e. mortis sententiam feret, quidquid in te ego decernam. Sic quoque, ut sim exitium tuum in inferno.* Ab his non longe diuertunt, qui verba prophetae sub conditione prolata putant. Hinc **וְדָוַר**, liberabo eos, **וְדָוַר**, vindicabo eos, **אֲנִי**, ero, in modo potentiali accipienda, (hanc enim vim esse futuro tempore in Hebraeorum lingua) hoc sensu: *Ex manu inferni redemissem eos, de morte vindicasset eos. Fuissem pestis tua, o mors, exitium tuum, inferne, scilicet, si resipuisseat.* KIMCHI haec est sententia, Geneuensium item, Tigurinorum aliorumque. Quae quanquam ab ipsis verbis non plane aliena est, habita grammaticae illorum significationis ratione, nihil tamen adferri videmus, ex quo cogi possit, ut haec durior praeferenda sit facilliori sententiae, quam versio vulgata refert, & ante hanc septuagintaviralis, quae sic habet: *ἐκ χειρὸς αἰδῆ ῥύσομαι καὶ ἐκ θανάτου λύτρωσομαι αὐτὸς.* Atque ut hunc verborum sensum amplectamur, maxime citatio Pauli Apostoli 1 Cor. 15, 54. 55. nos mouet, quacum superior illa propheticorum verborum interpretatio consistere non potest. Facile nimirum ex verbis Paulinis 1. c. intelligitur, contineri hac vaticinii Hoseani particula futurae salutis, atque illius, quam morte vincenda Messias parare debuit, liberationis adnunciationem. His ita praestructis, sequentia vaticinii verba curatius consideranda sunt. Primum varie vertitur vox **אֲנִי**,



Particulæ enim loco habetur in versionibus LXX. virali, Syriaca, & Aquilæ, idem, quod איה, *ubi*, significans. Huic vocis significatui favore videtur grauiſſimus auctor, Paulus, qui hoc Hoſeæ vaticinio uſus tale nobis ἐπιτίμιον canit: 1 Cor. 15, 55. πᾶς οὖν, θάνατε, νέκρον, πᾶς οὖν, ἄδη, τὸ νίκος, verique ſimilius nobis videtur, lectum fuiſſe in quibusdam codicibus איה, *ubi*, quæm, ut nonnullis placet, ad metatheſin litterarum, poſito nimirum איה pro איה, conſugiendum eſſe. In verſione vulgata τὸ איה vertitur *ero*, ut adeo ſit a radice איה, per apocopen poſitum pro איה. Similiter SYMMACHVS vertit: ἔσομαι πληγῆ οὖν. Nos, ſalua auctoritate Pauli, quem putamus ſententiam magis, quam ſingula verba expreſſiſſe, & Alexandrinam verſionem, quoad veritati Hebraicæ reſpondebat, ſecutum eſſe, איה, vertimus, *ero*. Deinde quod ad vocem רבר attinet, Alexandrini illam vertunt δικη. (πᾶς ἢ δικη οὖν, θάνατε), AQUILA vero interpretatur per λόγον, (πᾶς εἰσι οἱ λόγοι οὖν), ſimiliter JONATHAN Chaldaeus, cuius hæc eſt verborum prophetæ paraphraſis: כען יהי מימרי בהון לקטור *nunc vero meum in eos verbum tendet ad necem*. Sic quoque S. JARCHI videtur ſenſiſſe. Ita enim ille: עתה איה רברך מות אשים עצמי לדבר עליך רברי מות *nunc ero verbum tuum, mors, i. e. comparabo me ipſum, ut pronunciem aduerſum te verba mortis*. Ad JARCHIDIS placitum ABRABANEL ſupra iam excitatus habet: *Ero verba tua, mors, i. e. mortis ſententiam feret, quidquid in te ego decernam*. Hi igitur, quos iam nominaviſimus, interpretes vocem רברך duxerunt a voce רבר, quæ communiffime quidem *verbum* ſignificat, generatim tamen de re vel negotio quocunq; uſurpatur. Hinc ab Alexandrinis in loco hoc Hoſeæ per vocem δικη, *cauſa*, explicata fuit. At vero τὸ רברך non ex רבר, ſed ex רבר, deducendum eſſe, præeuntibus optimis interpretibus, contendimus. Vox enim רבר contextuali ſermonis magis

conue-



conueniens est, aptiusque sequenti voci קטב respondet. Simi-
liter Psalmo 91, 6. דָּבַר & קָטַב iunguntur. Observatum
autem fuit Cl. SIMONI in Lexico Manuali Hebraico & Chal-
daico, vocem דָּבַר, vt Arabicum *dabron* proprie mortem de-
notare seu, vt aliis videtur, vniuerse destructionem. Interpretes
Alexandrini דָּבַר fere semper per vocem θάνατος vertunt,
vt Exod. 9, 13. Leuit. 26, 25. 2 Sam. 24, 13. 1 Reg. 8, 37.
Altera vox קטב, ex forma קטב idem, quod קָטַב signifi-
cat, h. e. *excidium* seu *exitium*, speciatim *luem* seu *pestilentiam*.
Quare vertimus prophetae verba: *Ero mortis tuae seu destructio
tua, mors, ero excidium tuum, inferne*. Occurres nobis sic ver-
tentibus, hanc verborum prophetiarum expositionem hand con-
sentaneam esse Paulinae illi, 1 Cor. 15, 55. πᾶς οὗτος, θάνατος,
τὸ κέντρον; πᾶς οὗτος, ἄδην, τὸ νίκος; Sed respondemus, Paulum
apostolum l. c. mentem prophetae explicasse, & scopum verbo-
rum respexisse, non ipsis verbis inhaesisse. Mortis destructio-
nem propheta praenunciat; eam & Paulus mente praecipit, &
destructam iam velut videt mortem potentissima Christi manu, re-
suscitantis mortuos, & ad aeternam vitam reuocantis. Destru-
cta autem morte, beati triumphantes cantunt: vbi stimulus tuus,
o mors? vbi tua, inferne, victoria? Sunt, qui putent, דָּבַר,
quod generatim destructionem notat, in speciali & metony-
mica significatione esse id, per quod mors destructionem adferat,
adeoque bene per κέντρον verti posse. Cui sententiae stabilien-
dae inseruit, quod in lingua Arabica *daberah* denotat aculeum,
ex quo deriuant Hebraicum דַּבְרָה, *apem*, h. e. quasi aculeatam
(*). Elegans sic nascitur sensus: *Ero stimulus tuus, o mors,*
i. e.

(*) EDWARD POCKE Com. Oxon. 1685. p. 758 sqq. In the
Arabic tongue the word *daberah*



i. e. ipse ita te pungam, vt destruaris, loco, quod tu hactenus pupugisti, quod idem est, ac, ero destructio tua. Quidquid huius sit, sufficit, citationi Paulinae, si sententiam prophetae, non singula verba consideres, cum versione vulgata verborum horum bene conuenire.

Iam rem ipsam quod attinet, contendimus, Messiam hisce in verbis insigni Ἰσραηλιτῶν elogio ornari. Argumento est saepius iam nobis commemorata citatio Paulina, quae ita comparata est, vt non possit non de credentium redemptione, facta grandi opere, videlicet Messiae reportata a morte victoria, intelligi, nisi absorta ab illa re, quam nunciat atque extollit, Paulum proferre statuas. Triste exilium, quo Ephraimitae mulcandi erant, Hoseas diuino spiritu instinctus in antecedentibus vaticinatur. Sed eodem spiritu actus nostro in loco vertit animum ad credentes & pios non istorum modo temporum, sed futurorum etiam, redemptionemque longe omnium exoptatissimam illis nunciat, quae solatium in rebus adflictis adferat maximum. Igitur ex nostra sententia, quae firmis rationibus nititur, sermo prophetae vertitur ad credentes, & spiritualis, quae dicitur, redemptio illis promittitur. De temporali tamen Ephraimitarum ex Assyriaco exilio nonnulli interpretes, atque in his magni etiam nominis, prophetica verba accipienda esse existimant, mortemque & infernum seu sepulcrum metaphorice dici de durissima Ephraimitarum patriis sedibus extorrium & hostili imperio subiectorum ferui-

Is the spur of a bird, that, with which he strikes, which is also in greek *κέρτος*. as there be, who think a bee called by the name of *κέρτος*, because she is *aculeata*, or has a sting. For these reasons I think *κέρτος* in the Apostle doth well answer, as in order of place,

so in signification, to the Hebrew *קרבין* without running to that coniecture of Drusus, that this word is by change of the place of letters put for *קרבין*, *darbanea* from *קרבין*, *darban*, which more vsually signifies a goad or sting.



feruitate. *Vrgent περιόδοις* textus prophetici, videlicet Prophetam minatum esse exilium perpetuum; hisce igitur minis, conueniens esse, vt promissio respondeat, & cum illae temporales poenas concernant, hanc quoque de temporali beneficio, liberatione scilicet ex exilio, intelligendam esse. Huius promissionis implementum quod attinet, prouocant ad historiam, quae tradat, multos Ephraimitarum post Ephraimitici regni excidium Iudaeis se iunxisse, & cum his ex Babylonica captiuitate liberatos esse. Quam dum amplectuntur sententiam, concedunt tamen, satis hisce Ephraimitarum a propheta praedictis typum contineri redemptionis spiritualis per Christum partae. At enim uero quominus huic sententiae accedamus, qua verba prophetica de redemptione Israelitarum temporali explicantur, haud leues obstant rationes. Primum enim ad captiuitatem Babylonicam praecedens Hoseae epanorthotica oratio trahi non potest, vt praeter Iudaeos interpretes Theodoreto in mentem venit. Nec nomen Iudae, nec circumscriptionem eius vllam hoc in textu reperies, sed res satis docet, fulmina sermonis prophetici dirigi in decem tribuum regnum, & palam legitur nomen Ephraimi & Israelis repetitum v. 1. & 9. Deinde non tanta ratio est, morti atque inferno hac verborum pompa velut insultandi, si tota promissio, quae hoc versu continetur, ad reditum non sane multorum Ephraimitarum ex terris Babylonicis referatur. Scilicet hoc si ponis, mortem & infernum interpretaris de malis Israelitis in exilio toleratis. Sed non videmus, quomodo ad hanc haec sententiam verba haec grandia quadrent: *Ero mors tua, o mors, ero excidium tuum, inferne!* Quare longe verisimilins atque adeo verum est, verbis hisce contineri promissionem directe euangelicam de redimendis ex morte & inferno iis, qui, salua Dei sanctitate & iustitia, numerato *λυτρωσιν* redimendis omnibus sufficientissimo, redimi poterant, nempe ad Deum reuersuris, & in Messiam credituris. Haec nimirum omnium credentium redemptio ex aeternis suppliciis, per quam aeterna ipsorum illorum felicitas reparata fuit, (& quae *meritorie* ad



ad omnes omnino homines spectat), non illa paucorum Ephraimitarum ex malis temporalibus redemptio huius promissionis magnitudinem & verborum prophetarum proprietatem explet. Neque hoc obiicias, ad Ephraimitas antecedentem prophetas orationem pertinere, hos obiurgari grauius, his delictorum poenas denunciari. Enimuero solemne est prophetis, ut a minis & poenis ad promissiones euangelicas se conferant, & qui reliqui sunt in peccatorum colluue, solatio pios erigant omnium maximo, quod redemptorem habeant Christum, qui nolit quemquam perire, nisi qui ipse iuerit se perditum. Quae cum ita se habeant, veri est simillimum, quod supra adseruimus, Messiam hisce in verbis sistere sese *θανατοκτόνον*, mortis destructorem. Atque ad sensum verborum bene intelligendum pertinet TARNOVII observatio in suo ad h. l. Commentario, quod haec promissio *consummata* implenda sit tum, cum Christus suum illud beneficium, videlicet redemptionem ex morte & inferno, suis in solidum donabit. Multa enim tum fieri dicuntur, quando plene manifestantur. Ex quo intelligi quoque potest, quo sensu Paulus 1 Cor. 15, 54. dum hoc Hoseae vaticinium citaret, his vsus sit verbis: *τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος*. Etsi enim pridem iam facta esset redemptio, nondum tamen facta erat plenaria eius declaratio, quae futura est post extremum iudicium. Haec TARNOVIVS. Et sane *θανατοκτόνος* partes *μεστῆς* noster tum egit, cum peccatorum nostrorum poenas ipse lueret, mortemque vicariam in cruce sufferret. Ut enim mortem vinceret liberandorum ex morte hominum causa, mori ipse ex consilio diuino debuit, iniustitiae infinitae rationibus ita flagitantibus; ut infernum destrueret, ipse poenas infernales sustinere debuit. Scilicet tantae virtutis erat vicaria eius passio atque mors, ut poenas, quas genus humanum peccatis promeritum erat, plane equipararet, quippe qui & infinita gauderet potentia, & ipse nullo legis vinculo obstrictus praestanda ac luenda ab hominibus lubens volensque in se susciperet. Hac igitur vicaria morte sua tantus mediator non solum



lum mortem temporalem, sed vniuerse omnem illam mali sempiterni molem, quod per peccatum genus humanum sibi contraxerat, fustulit. Voci **תּוּמָה** fere *συωνυμιῶς* & ex prophetarum dicendi more adiungitur **חַיֵּשׁ**, status mortuorum, quem non aliunde rectius, quam ex sacris litteris, nouimus, quemque adeo, testantibus illis, nisi Filii Dei meritum intercessisset, & credentibus in eum nouam viam ad felicitatem parasset, infelicissimum fore indubium est. Hinc Paulus in saepius citato loco proxime quidem de morte temporali loquitur, dum ait, absorptam esse mortem ad victoriam; sed videt facile vnusquisque, haec dici respectu habito ad felicissimam vitam, quam resuscitati ex morte aeternum cum Christo degent.

Haec igitur est spes nostra, Carissimi Ciues, plane explorata, & Christi olim crucifixi ac mortui in vitam reditu supra omnem dubitationem posita, quod, dum morimur, nec penitus intereamus, nec mulstemur morte, nec altera nostri parte in perpetuum priuemur; sed quod morti superstites mansuri, quod ad beatam vitam per mortem transaturi, quod corpora nostra in pulverem resoluta vel in cineres dispersa sumus recuperaturi, vt participes fiant aeternae, quam Christus nobis peperit, felicitatis. Habemus Christum *Σαυατοῦτέον*, quem si vera fide amplectimur, vitam in nobismet ipsis habemus. Haec vero spes aduersus metum mortis nos corroborat, haec ad sanctitatem impellit, haec in afflictionibus solatur, & huius vitae misérias emollit. Hanc expetamus atque lucrifaciamus, hanc alamus hisce diebus fœlis serâ consideratione & pia recordatione resurrectionis Christi *τῷ Σαυατοῦτέῳ*, quam qui indubitata fide tenent, ad exemplum Diui Pauli (Actor. 24, 15. 16.) spem habent in Deo, fore resurrectionem mortuorum, iustorum & iniustorum. Interea vero ipsi se exercent ad conscientiam habendam sine offensa apud Deum & apud homines. Sciunt enim, laborem ipsorum non fore inanem in Domino. P. P. in Vigiliis Fœsti Paschatos A. R. S.

CLDCCCLXIX.

INDEX

Iste est Index...
 Capitulum primum...
 De nomine...
 De substantia...
 De accidentibus...
 De actionibus...
 De passionibus...
 De instrumentis...
 De modis...
 De locis...
 De temporibus...
 De mensuris...
 De numeris...
 De rationibus...
 De figuris...
 De coloribus...
 De sonibus...
 De odoribus...
 De gustibus...
 De tactibus...
 De virtutibus...
 De vitiis...
 De moribus...
 De legibus...
 De iustitiis...
 De equitate...
 De temperantia...
 De fortitudine...
 De audacia...
 De veritate...
 De falsitate...
 De misericordia...
 De crudelitate...
 De mansuetudine...
 De iracundia...
 De modestia...
 De superbia...
 De humilitate...
 De castitate...
 De luxuria...
 De continentia...
 De incontinentia...
 De pudicitia...
 De impudicitia...
 De castitate...
 De continentia...
 De pudicitia...
 De impudicitia...




Id 6020

(I)

X 2284726

mt





ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
P R O R E C T O R
C V M S E N A T V
S A C R A P A S C H A L I A
R E L I G I O S E C E L E B R A N D A
C I V I B V S S V I S
I N D I C I T .

*Monstratur Christus Savatorum ad verba
Hof. XIII, 14.*

GOETTINGAE

EX OFFICINA SCHVLZIANA, CUR. F. A. ROSENVSCH,